



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google


El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

---

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.


Google™ books

<https://books.google.com>



23

ΞΥΝ ΘΕΩ!  
*De*  
JURIS GENTIUM  
CUM JURE NATU-  
RÆ CONSENSU,  
DISCEPTATIO PHILOSOPHICA,  
*quam*  
SUB MODERAMINE  
*VIRI PLURIMÙM REVERENDI*  
*ET EXCELLENTISSIMI*  
DN. M. JOH. CONRADI  
DÜRRII,  
S. THEOL. ET PHILOS. MORAL. PROF.  
PUBL. CELEBERRIMI, FACULT. PHILOS. IN  
PRÆSENS DECANI SPECTA-  
TISSIMI,  
DN. PRÆCEPTORIS AC PATRONI  
SUI ÆTATEM VENE-  
RANDI,  
in Inclutâ ALTDORFFINA  
*Ad d. 6. Maii*  
*A. cl. Ioc LXXI.*  
*publicè & placide vernilandam exhibet*  
JOHANNES LÖW / Curiâ Nariscus.



ALTDORFFI

Typis HENRICI Meyers/ Univ. Typogr.

Digitized by Google



Et hoc quod dicitur de iure gentium non potest esse nisi sit iure gentium, sed est iure naturae.

## Q. D. B. V!

### Proemium.

**Q**ui usus ex cognitione perfectâ Juris Gentium redundant abundantissimè quà in Philosophiam, quà in Jurisprudentiam, clarissimè apparat. Etenim licet primâ fronte ad illam non pertinere videatur, cum hodièq; ejus Tractatio ferè ad forum JCTorum translata sit, nec ipsi Philosophia inficias eant. hanc Juris divisionem in Naturale, Gentium & Civile à JCTis potissimum traditam atq; expostam esse, nihilominus, si accuratiùs paullò res hac consideretur, negari non potest, quòd Juris Gentium tractatio ad Philosophiam quoq; Moralem spectet; & Philosophorum Phosphorus Aristoteles sub Naturali, quatenus hoc etiam οὐλούρι i. e. civile appellatur, l. s. Eth. c. 7. comprehendenterit; Id quod & Commentator ejus Ant. Riccobonus clarissimis verbu confirmavit, dicens: JCTi distinguunt Jus Naturale & Gentium, hic verò, (sc. Arist.) sub Jure Naturali utrumq; complectitur; tām illud, quod est commune omnibus animalibus, quàm illud, quod est commune Gentibus: Addantur commentaria ad istum locum Donati Acciajoli. Et profectò doctrinae Justitiae & Iuris, Fortitudinis, Amicitiae, sine notitia Juris Gentium manca esset, & imperfecta. De usibus ad ipsam Jurisprudentialiam redundantibus præstat potius tacere, quàm solle velle facem præferre, eamq; operam ejus disciplina Doctoribus meritò committimus. Cum igitur cognitio Juris Gentium tantam secum ferat utilitatem, non mihi vitio versum iri ab aquis eruditioris arbitris confido, si materia hujus tractationem hāc vice intra disputationis Philosophica cancellos complecti ausus fuero. Quamvis enim eandem limā judicii expolire per ingenii & judicii infirmitatem mihi non licuerit, probè gnaro, quòd ad hoc Jus accurate tractandum opus sit virō totius Anxi.

quitatis peritissimô, civilique prudenter, & rerum quodam usu non vulgariter præditô, teste Celeberr. Dn. Boëclero in præfat. ad aureum Grotii opus de J. B. ac P. Conatus tamen meos Lectorem Benevolum dextrè interpretaturum & spero, & ut voti composfiam, etiam atq; etiam expeto. Antequam verò circa alteriorem circuitiō nem me ad ipsum opus propositum cingam, Eum, in quo tanta divinæ humanitatis est providentia, ut semper æternis liberalitatibus nos sustentare dignetur, (verbis Imp. l. 2. pr. C. de V. I. E.) supplex veneror & compello: Audi, obsecro, DEUS Optime Maxime, me rogantem, & Spiritus S. mibi gratiâ adesto, qui Dux mentem meam dirigat, ut salutaris videam, judicem, promam, & omnia felicititer cedere jube.



## I.

 Uemadmodum ordinem vinculum Reip. recte dixit splendidum quandam in hoc Lycéo Philosophorum fidus Michael Piccartus, disput. de Rep. & ejus formâ in gen. th. 17. his verbis: *Quod corpus sine anima est, cælum sine lumine, idem Rep. sine ordine, quô omnia ejus membra vigent & diriguntur;* Ita in quâlibet doctrinâ necessarium esse ordinem, qui nos facilius meliusve in cognitionem ducat, & lucidius Eleæro est, & peculiari aliquâ disputatione inscriptâ de ordine doctrina in tradendis disciplinis solidissimè demonstravit modò dictus Vir laudatissimus. Ne igitur ego in difficillimâ hâc materiâ planè omittas processisse videar, constitui, secundum causarum ordinem in Juris Gentium naturam paucis inquirere, dummodo prius circa vocem paucula quædam prælibavero.

II. *Juris Gentium* appellationem apud Arist. non occurtere quamvis satis constet, rem tamen ipsam sub Jure Politico generaliter concepto ab eodem comprehensam fuisse, paulò antè in præfatione dictum est. *Ius*, (cujus Etymologiam variamque acceptio-

ceptionem declaratam vide sis apud Azorium p. 3. Inst. Moral. l. z.c. 1.) ut propius ad institutum accedamus, & per terminorum cognitionem paulatim ad rei penitorem notitiam gradum nobis struamus, in genere nihil aliud significat, quam normam sive regulam actionum humanarum cum respectu ad alium. Hinc recte Laymannus t. I. l. 3. f. 1. tr. 1. c. 1. p. 249. *Jus* descripte per aqualitatem alteri debitam, & hoc justitiae particularis ac propriè dietæ objectum esse putat, quamvis etiam justitia universalis sit πρὸς ἄλλον, ad alium, teste Arist. l. s. c. 1. & in hoc differat à virtute universalí, quod *hac sit habentia perfectio*, illa verò *foras spectet & projecta tota sit*, verbis Cic. Jung. Giphan. & Muretus in comment. add. l. Arist. Per *Gentes* non hic strictè accipiuntur illi populi, qui olim Judæis, hodiè Christianis opponuntur, neque illi, qui certis provinciis continentur, & alterius imperio subsunt, sed varii diversas orbis terrarum partes occupantes, ita tamen, ut non sint barbari, sed qui *mores ac legibus reguntur*, verbis Imp. S. I. l. de I. N. G. & C. Neque etiam necessariò omnes *Gentes* ad unum quodque *Jus Gentium* requiruntur, sed sufficit plerarumq; consensus. Ita Vasquius in prefat. ad l. 1. controv: n. 118. *Jus Gentium* esse intelligitur id non modò, quod ab omnibus omnino Gentibus peras què observatur, sed etiam id, quod ab earum plerisq; admissum est.

*III.* Dicitur alias & *Jus inter Gentes*, nec non particulariter *Jus Feciale*, præsentim Autori Anonymo libelli hòc titulò editi. Appellatur autem *Feciale*, quòd apud Romanos *Feciales Foederum*, *Belli, Pacis, Induciarum*, (quæ omnia *Juris Gentium* esse paulò inferiùs dicetur) fuerint *Oratores*, & fidei publicæ inter populos præsenter, ut est apud Andr. Dom. Flocc. de Poteſt. Rom. l. 1. c. 9. & Rofin. Antiq. Rom. l. 3. c. 21.

*IV.* Sed nec Homonymia prorsus conticenda est: Sæpè enim *Jus Naturæ* cum *Jure Gentium* confundi & JCti & Philosophi obliuant. Ita Azorius d. l. c. 4. duplì modo *Jus Gentium* accipì didicxit, uno quidem, prout est idem, quod est *Jus Natura*, & altero, qua-

tenuis est id, quod Autoritate & Voluntate vel omnium, vel saltem plurimarum Gentium ac populorum institutum est. Nec dissimulavit hanc & quicunque B. Dn. Ludwells in comment. ad §. 1. Inst. de l. N. C. & C. n. 3. Eandem quoque homonymiam aperuit Excellentissimus DN. PRÆSES in accuratâ disputatione de Jure Naturæ jam olim in Academiâ Juliâ publici juris factâ, th. 8. dicens: *J̄ctos appellare Jus Gentium, quod nos vocamus Jus Naturæ. Impræsentiarum accipimus Jus Gentium strictè pro illo jure, quod à Naturali distinctum autoritatem & vim suam propriè & immediate per approbationem & receptionem Gentium acquisivit.*

V. Ad hujus originem rectè indagandam & exponendam sciendum, præter illas causas, quæ remotius ad Juris Gentium constitutionem muneris sui partes conferunt, ut sunt DEUS & Natura, viciniores esse Indigentiam & Socialitatem. De illâ jam-dudum docuit Aristotelis Præceptor, Divinus Plato l. 2. de Rep. *Nemo nostrum, inquiens, sibi soli est sufficiens, quin potius multorum indigus.* Nimirum, cum vitâ nostrâ humanâ ita comparatum est, ut vel à primâ nativitate indigentia sese manifestissime prodat. Cum enim alia animalia vivere suâ queant operâ, homines servari nequeunt, nisi alieno beneficio, quippe της επιειμένας δούται, teste Arist. l. 10. probl. 45. quâ de causâ etiam ibidem dixisse videtur hominem ἀπλῇ ἐξέχεσθαι imperfectum in lucem exire. Id pro explorato sanè habemus, vitæ humanæ eam esse indigentiam, ut non conspirantibus in mutuam operam pluribus, malignè admodum servari possit verbis Cl. Pufendorfi Elem. Jurispr. l. 2. obs. 3. n. 2. p. 298. Indigentia hinc ares dicitur, quæ πάντα συνεργά, omnia conjungit, ex Arist. s. Eth. s. quem locum celeberrimus quondam Gi-phanius ita interpretatus est in comment. quod omnia tanquam communi vinculo teneat, sitq; naturalis mensura omnium rerum, quam rationem etiam affert Muretus in comment. ad h. l. Quis ergo dubitet amplius de vi impellente homines ad societates, quasque illæ

illæ necessariò requirunt regulas ordinantes & dirigentes, adeò-  
qué ad istud, quod nunc considerandum proponimus, Jus Gen-  
tium, idqué etiam ipsum ex naturâ contractuum evidenter  
liquet. Quod si enim omnibus omnia ad vitam necessaria suppette-  
rent, & nemo alterius re indigeret, nulla fieret permutatio, ut ait DN.  
**P RÆSES**, Præceptor meus jugiter observandus, *Instit. Moral.*  
*p. 3. f. 2. c. 11. §. 40. 41.* Imò, sine indigentia si esset, non homines  
essemus, sed Dii, juxta illud Socratis, qui nullâ re indigere Dei esse  
pronunciauit apud *Stob. serm. 5.*

**VII.** Et hæc ipsa causa peperisse videtur alteram, quam dixi-  
mus *Socialitatem*, Aristotèles verò *κοινωνίας* appellat, i. e. *communio-  
nem*. Etenim, cùm aliorum hominum operâ carere nemo pos-  
sat, ipsius Naturæ instinctu fit, ut homo homini sit *jucundissimus*, *A-  
rist. l. 7. Eud. c. 2.* & quod naturâ sit sociale & civile animal, *l. 1. Polit.*  
*c. 2. & l. 3.. c. 6.* Id quod & Apuleius de *Philosoph.* natur. clarissi-  
mis confirmavit verbis; *Qui naturâ imbutus est ad sequendum  
bonum, non modò sibi metip̄ natum putat, sed omnibus: nec par-  
aut similē modō, verū patrīe unumquemq; conceptum esse, de-  
hinc proximis, & mox ceteris, qui familiari usū vel notitiā  
junguntur.* Imò, etsi non indigerent mortales mutuò auxi-  
liò, nihilominus op̄yortu rē suā i. e. affectant vita *societatem*,  
contrà solitudinem aversantur, *qua nobis omnia mala persuadet,*  
*& nemo est, cui non satius sit cum quolibet esse, quam secum, velut scri-  
bit Romanus Sapiens, Ep. 25.*

**VIII.** Eaqué proclivitas auctō genere humanō mox erupit in  
actum, ita, ut non solum obortæ sint *societates* illæ arctiores & sim-  
plices, aliis dictæ *domesticæ*, quarum tres numerantur, *Conjugalis*,  
*Paterna, Herilis*; de quibus si quis querit, An Jus in illas cadat? ad  
eam quæstionem respondemus cum *Arist. l. 5. Eth. c. 6.* quod om-  
nino & illis *Societatibus* Jus aliquod competit, sed non sit idem  
cum *civili*, verū op̄uor tantum, i. e. simile; Sed etiam ex angu-  
stioribus illis terminis, quibus officia paucorum circumscribun-  
tur,

ur, ampliores societates incrementum cœperunt, ita, ut primum civitates, postmodò integræ communites populorum promanaverint, non alium in finem, quam ad benè beatèque vivendum, ubi aliis plus, aliis minus est necessarium. Junge sis *Giphanum in comment. ad l. 3. Polit. Arist. c. 4.*

*VIII. Quod si ergo Juris Naturæ præcepsa sum generalis, tūm specialia certis materiis dextrè applicantur, ita ut ad plurimum utilitatem, societates variarum Gentium tranquillè ineundas, feliciterque colendas artemperentur, inde resultat Jus Gentium.* Sunt verò materiæ hujus juris tot, tamque variae, ut illarum omnium enarratio terminos excedat nostræ disputationis, & verò speciatiorem hanc tractationem JCtis sibi propriam fecerint, quorum fines invadere mihi non est integrum. Neque tamen zegre laturos confido, si aliquas tantum recensuero, & monstravero, quō modō in Jure Naturæ fundatæ sint. Eadem verò est ratio hic, quæ in Jure Civili. Quemadmodum enim hoc vel Personas, vel Res primariò concernere communi JCorum consensu constat, & licet Actiones pro tertio Juris Civilis objecto ponantur s. ult. I. de l. N. G. & C. eas tamen etiam vel ad Personas, vel ad Res spectare, B. Dn. *Ludwells Exercit. ad Instit. 16. th. 1.* clarissimè demonstravit. Ita & Juris Gentium materiæ aliae Personas, aliae Res potissimum concernunt. Ad illam classem referri possunt Imperia, Societates, Legationes, Fœdera, Bella, &c. Ad hanc verò Rerum Dominia, Divisiones, Contractus, & plura alia.

*IX. Dominationem in alios, vel Imperium Gentium Jure introductum esse, nullum planè est dubium. Etenim cum humani generis necessitates desiderent, ut homines non sylvestrem, more ferarum, sed civilem vitam & Politicam agant, socialis autem vita & communio facile pariat discordias, etiam inter propinquos, l. 27. §. 20. de Legat. 2. Gentium non barbararum consensus discordias litesqué illas per introductionem Imperii præcavere*

cavere voluit. Claris hoc verbis indicavit *Vasquius* in p̄f. l. 1. Controv. n. 102. Et humana necessitas & naturalis appetitus societas peperit hominum vitam socialem atq; politicam, societas discordiam, dissensum, discordia principatum, juridicamq; potestatem civilem, & in hunc sensum dici potest regnum esse de Jure N. & G. Potissimum verò regium imperium principiō rerum, Gentium nationumque fuisse testatur *Justinus* l. 1. c. 1. §. 1. & ex eo Autor *Juris & judicis Focialis* p. 1. f. 2. p. m. 6. Quod verò potestas hæc imperandi in Jure quoque Naturæ fundata sit, egregie demonstravit *Arist. 8. Eth. 10.* ubi non modò convenientiam civilium societatum cum domesticis ostendit, verū etiam species imperiorum ex iisdem deduxit, & inter se comparavit, e. g. Regium cum paternâ, Aristocraticum cum Conjugali, Timocraticum cum Fraternâ societate. Quis verò negaret societas illas domesticas ex ipso Jure Naturæ ortas esse? Sanè paternum mandatum obligare filios naturaliter, patet ex Decalogo, qui ferè nihil aliud precipit, quām quod ex se & suā naturā honestum est, & intelligentē natura conveniens, verbis Amplissimi DN. PRÆSIDIS disput. de Jure Naturæ th. 22. Ità uxoris potestatem domesticam limitatam esse sub mariti potestate ipsō Jure Naturæ, testatur solertissimus *Grotius* l. 2. de I. B. & P. c. 5. n. 8. dicens: *Consortio maximè naturalis in conjugio appetet, sed ob sexus differentiam imperium non est commune; sed maritus uxoris caput in rebus conjugii & in rebus familiae, nam uxor fit pars familiae maritalis.* Sic, quòd & fratres non unā eadēmque gaudeant prærogativā ex æstate, ex naturæ attributō dependet, secundūm quam præstantior habetur is, qui natu est major, teste rursus *Grotiō d. l. c. 7. n. 18.* Ita se res ferè haber in diversis Imperii formis.

X. Quid verò dicendum de Servitute? Sanè hanc contra Naturam esse Imperator *xam̄ p̄n̄* dixit §. 2. l. de Jure Pers. & l. 4. §. 2. ff. de St. H. Nec verò JCritantūm, sed & Philosophi, Poëtæ, Oratores illud confirmarunt. Sic *Cic. Philipp. XII. Nihil est factum*

diris servitute: ad decus & libertatem natì sumus, & in X. Mortem potiorem servitute dixit. Ita Seneca Trag. Durum, iuris sum, grave est servitia ferre. Et quid Aristoteles aliud voluit, quando servis denegavit τὸ βελτίων 1. Polit. 9. quam servitutem esse aliquid contraria naturam? Verū menimvero, quæ haec tenus proposita sunt, non ita sunt accipienda, quasi servitutis nullum omnino sit fundatum in Jure Naturæ saltem secundariam ejus intentionem considerato: Licet enim quoad statum & conditionem servilem pugnet cum naturali libertate, cum tamen status ille introductus sit consensu Gentium, cum ipsis etiam Juris Naturæ principiis consentit. Et quidnisi Juris Naturæ esset, servare hominem, qui jure potuisse occidi? Hinc majoris mali vitandi gratia, cœuremedii loco, inventam esse servitutem, scribit Vasquius l. 1. contrav. c. 9. n. 4.

XI. Legationes & Legatos Jus Gentium introduxit, etiam non sine fundamento Juris Naturæ. Etenim quis dubitaret omnibus modis eò laborandum esse ex Juris Naturæ instinctu, ut societas humana sarta teatique conservetur; aut si illa per dissidia laesa fuerit, redintegretur? quando verò non semper inter absentes ob loci distantiam aliaque impedimenta integrum est commodè societati publicæ consulere, Gentes Legationis medium introduxerunt. Hinc Vasquius Legatos Jure Gentium & Naturæ uti monstravit l. 2. c. 51. n. 35. & quamvis Grotius l. 2. c. 18. n. 4. hoc Jus non ut Jus Naturæ ex certis rationibus certò oriri, sed ex Voluntate Gentium modum accipere dixerit, illud tamen solum de formalí ratione Legationis intelligendum esse arbitror, ita, ut generalis ratio nihilominus in Jure Naturæ fundamentum suum obtineat.

XII. Porrò Fædera & Pacificationes vim & efficaciam suam petere ex Jure Naturæ itidem demonstratu facile est. Nam si amicitia inter privatos gaudet fundamentum Naturæ, quidnisi publicæ amicitiae species eodem quoque gaudeant? Convenientiam hanc monstravit Autor Juri & Judic. Fec. p. 1. f. 2. §. 4. dicens: Quemadmodum

admodum de privatis tradit *Itus*, amicos esse accipiendos, quibuscum sunt Jura honestis familiaritatis rationibus quaesita: ita inter diversos Principes & populos ratione eiusdem originis, vicinitatis regionum, communionis primaeva, bene facienda sibi in vicem oportunitatis & similitudinum, cum aliis pra alios familiarius agitur. Nimirum, non aqua, ut ajunt, non aere, non igne pluribus locis utimur, quam amicitia, & eam qui tollit, solem è medio sustulisse videtur, ut recte dixit Cic. in *Lal. c. 6.* cui congruum est illud Romani Sapientis, *Epist. 9.* Quomodo hominem homini natura conciliat, sic inest quoque huic rei stimulus, qui nos amicitiarum appetentes faciat. Est ergo naturalis illa opus & irritatio fundamentum omnis generis pacificationum & scđerum, ita ut populi naturali quadam inclinatione eò ferantur, probè gnari, longè verissimum esse de hominum vitâ, quod *Empedocles* in genere vaticinatus est, quod omnia, quæ in naturâ sunt, amicitiae contrahantur, discordia dissidentur. Præ omnibus aliis claruit publicæ hujus amicitiae studii laude Augustus Imperator, teste *Floro l. 4. c. ult. n. 64.* dum imperium ita gerere studuit, ut ubiq; cuncta atq; continua totius generis humani aut pax fuerit, aut pactio.

*XII.* Verum, major difficultas subest circa Bellum, an, & quantum nitatur Jure Naturæ? cum potius cum hoc è diametro pugnare videatur. Quod si enim neminem lædendum esse generaliter dictitet Naturæ Jus; in bello verò non nisi hostium damna & eversiones sint proposita: An non recte quæsivit *Tibullus l. 1. Eleg. 11.*

*Quis fuit, horrendos primus qui protulit enses?*

*Quam ferus & verè ferreus ille fuit?*

Verùmenimverò, et si omnino negari nequeat Bellum repugnare Naturæ Juri in statu isto felicissimo, quò gaudebant homines ante commissam adversus DEUM à primis parentibus prævaricationem, ubi nullus dissidiis, injuriis, aliisque rixandi, belligrandique causis fuisset locus, nihilominus, cùm post lapsum na-

tura humana ità degenerârit, ut aliquando homines contra naturam generis humani beneficam nutricem alii aliis struant infidias, ut ità jura, ordinemque salutarem à supremo Numine constitutum & animis mortalium impressum violent, commercia divellant, destruant, societas dirimant; his malis corrigendis opus fuit illis præceptis Juris Naturæ, quibus indicaretur, quomodo in iusta vis vi repelli, socii defendi, in iuste erepta repeti possint. Non est mei nunc instituti omnes justas belli causas in medium producere, quas præter alias supra laudatus *Piccartus* posuit in *disput. de Jure Belli.*: jungatur & *Grotius de I. B. c. 3. P. I. c. 2.* Satis est hâc vice ostendisse Naturæ non simpliciter, & in omni statu bellum repugnare, imò naturam admittere, & præcipere ceu gravissimum remedium non nisi gravissimis morbis applicandum, ex præcepto Medicorum, & consentiente eodem *Piccarto*, *d. dispt. th. 22.* Absit vero, ut propterea Brenni præter fas & quantum alienâ vi armisque invadentis effatum velim approbare, quod est apud *Plutarchum in Camillo*, dum dixit, se suosq. in hoc *Juris Naturæ legem antiquissimam sequi*, ut nemirum validioribus subderentur inferiorer; prætextu enim hoc *Juris Naturæ* tantum occultare in iusta dominationis aut possessionis voluit libidinem. Profectò, nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, implacatus & implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si que sunt similia, non sunt justæ belli causa, quin potius hæc in bellis jure culpan- tur, teste *Augustino contra Faustum l. 22. c. 24.* Econtrariò, *Fortitudo*, que in bello tuetur à barbaris patriam, aut defendit infirmos, vel à latronibus socios, plena iustitia est, scripsit *Ambro. in Offic.* Quis ergo amplius dubitabit, bellum aliquod in jure naturæ stabilitum esse, quod suscipitur pro salute societatum, pro pacis recuperatione, pro sartâ rectâ Libertatis, Religionis, Opum Possessione?

*XIV.* Transeo ad quædam *Juris genera*, quæ circa res occupata sunt, ubi primò considerandæ se offerunt Rerum Divisiones, Dominia, Possessiones, Proprietates, (quæ quomodo inter se

se differant, JCtis explicandum relinquimus, vid. inter alios Ziegler. in Not. ad Grot. de I. B. & P. l. 2. c. 2. §. 1.) Etsi autem primùm à condito statim mundo, non nisi uno aut etiam paulò paucioribus hominibus existentibus, adeoqué iisdem nondum in sociates varias divisis *omnia fuerint*, ut *Just.* loquitur, l. 43. c. 1. *communia & indivisa omnibus, veluti unum cunctis esset patrimonium;* postquam tamen invalecente hominum numerò animadversum est, multarum rerum ad hanc vitam commodè degendam copiā opus esse, easq; res industriā & arte acquireendas, colendas, conservandas, simul communi, etsi tacito primū & interpretativo, Gentium veluti consensu conclusum est, consultissimum esse, ut ex grandi illo rerum à Conditore hominum usibus concessarum cumulo singuli homines, singulæ familiæ, civitates, gentes partem sibi propriam vendicarent, & ab aliorum invasionibus tuerentur.

*XV.* Quanquam igitur in statu illo primævo, ubi bona erant communia, jus Naturæ ejusque Praecepta Divisionem Bonorum honestè, & ut tranquillitati & concordiæ quam maximè conveniret, ordinantia nondum se exsererent, nondum scilicet accedente Gentium voluntate amplectente & approbante; postquam tamen eam divisionem necessitas postulareret, commoditas suaderet, tum demum vim suam & effectum Jus Naturæ in ista divisione & proprietate ita actu secundo excerebat, ut quæ aliquis vel occupatione, vel divisione, vel labore, vel arte sibi vindicasset, ea ab altero citra in juriam & citra violationem honestatis eripias non esset.

*XVI.* Consistit verò, ut paucis rem totam comprehendam; fundamentum in hoc, quod ex instinctu Naturæ hominis ingenium eò feratur, ut propria solertissimè curet, communia tanquam parum ad se spectantia facilè negligat. Apprimè huc facit locus Ciceronis l. 3. Offic. *Sibi, inquietis, ut quisq; malit, quod ad vita usum pertineat, quam alteri acquirere concessum est;*

non repugnante natura. Clarius hanc rem eodem fundamen-  
to firmavit Guilielmus Amesius Cas. Cons. l. 5. c. 41. §. 8. 9. *Divisio*,  
inquit, rerum non nascitur tantum Jure humano, sed et Jure Natu-  
rali et Divino. Quamvis enim Ius Natura non directe et imme-  
diatè praeceperit ab initio istam divisionem, dictat tamen ex occasione  
generis humani multiplicati, et iniquitatis inualecentis, divisionem  
illam esse necessariam ad pacificam & suavem rerum administratio-  
nem. Fuit hoc etiam semper Jure Natura ordinato, ut, quamvis fer-  
cula omnia in communione proponantur, portiones tamen ab aliis occupa-  
tas nemo debeat ad se transferre, sine consensu eorum, a quibus fuerunt  
occupatae.

*XVII.* Progredior ad *Contractus*, quos quantum praesentis  
instituti ratio postulat, sufficit noscere, quod sit omne negotium, quod  
nos invicem *commutamus facultates*, juxta Giphanius. *Comment. in s. Ethic. c. 2.* cui adjicit Grotius hanc etiam differentiam, quod ad  
afforum hominum utilitatem tendant l. 2. c. 12. n. 1. Homines enim  
hominum causa generati sunt, ut ipsi inter se alii prodeesse possint, ve-  
rissime scripsit paulo ante laudatus Cic. l. 1. Offic. & Seneca *hominem*  
*sociale animal communi bono genitum* dixit l. 1. de Clementia c. 3. qui  
idem Epist. 95. egregiò simili declarat fundamentum contra-  
etuum naturale, dum *societatem nostram fornicationi lapidum si-  
millimam esse* dixit, *qua casura, nisi invicem obstante, hoc ipsis susti-  
netur*, i. e. quemadmodum lapides ritè inter se juncti quasi con-  
tractum aliquem iniverupt, ut alter alterum à casu sustineret, ita  
& nos naturam duces debemus sequi, & *communes utilitates in  
medium afferre, mutatione officiorum, dandò, accipiendo, tūm artibus,  
tūm operis, tūm facultatibus devincere hominum inter homines socie-  
tatem: liber id verbis Cic. d. l. c. 22. declarare.*

*XVIII.* Porro, quia docente eodem laudatò Giphaniò, ex  
principio, ut summa rei cuiuslibet causa, res spectari solet, *Con-  
tractus*, præunte Philosopho s. *Ethic. 2.* respectu habitò ad noti-  
tiam intellectus aut appetitionem voluntatis dividunt in Volun-  
tarios

tarior & Invitos. Videatur præter alios Excellentiss. DN. PRÆSES in Institut. Moral. p. III. s. II. c. XI. Hos autem ipsosex Jure Naturæ fluere facile patet ei, qui attendet, & in his æqualitatem indubitate naturalem, ceu remedium, adhiberi, lucrum verò & damnum ita corrigi & emendari, ut illi, qui plus, quam par est, habet, auferatur, & alteri, qui minus, quam decet, obtinet, attribuantur; ita, ut fures teneantur ad restituendam rem iniquè ablatam, maledici ad famæ violatæ reparationem.

XIX. Ubi tamen *as ēs magis dō* monemus, istam contractum inæqualiter & iniquè initorum emendationem longè differre ab ipsa pœnarum irrogatione, quam Justitiae universali recte designat & prolixè demonstrat nunquam sat laudatus DN. PRÆSES, d. I. num. 51. & seqq. Illa tamen ipsa etiam pœnarum irrogatio & Gentium & Naturæ Juri consentanea est: Nam & recta utique ratio præcipit, ut homines noxii, qui civellem tranquillitatem utilitatem vè impedire conantur, coércentur, aut, si ita necessitas flagitet, prorsus è mediò tollantur: *Pravus enim voluptatem appetens, non secus ac jumentum, puniri debet, scribit Arist. X. Eth. c. ult. Sicut autem viperas & scorpions & que alia venenō nocent, priuquam aut mordeant, aut vulnerent, aut ullum in nos impetum faciant, statim sine morā occidimus, præcaventes, ne quid patiamur malis ab ea, qua in ipsa est, malitate: eundem ad modum & homines puniri par est, qui naturam naçti mansuetam propter fontem rationis, qua ad societatem trahit, institutis inferarum savitiam transeunt, utilitatiq; ac voluptati habent nocere, quam possunt plurimi;* verbis Philonis l. 2. de spec. leg.

XX. Atque hujus Juris veritatem & rectitudinem nullæ non Gentes & agnoscunt, & quâvis ferente occasione exercent. Platazenles apud Thucydidem l. 3. Meritò eos ultis sumus, jure apud omnes recipio, ut hostilia patrantem ultisci liceat. Demosth. in orat. adversus Aristocratem, Communem, ait, esse legem inter homines, ut cum, qui

leratissimus Gentium Jure paricidium à se commissum, nequiter in Adherbalem translaturus, populum Rom. neq; rectè neq; pro bono facturum, si à Jure Gentium sese prohibuerit, queritur apud Salust. in Jugurth. c. 22.

*XXI.* Ex hac tenus dictis sole meridiano clarus appareret, nullum esse Jus Gentium, quod non fluat è Jure Naturæ, cum & in genere nulla lex positiva sit iusta, si à lege naturæ discederet, juxta Vasquium, c. 50. controv. n. 6. Porro formalis ratio Juris Gentium videtur in eo consistere, quando Juris Naturæ quæ generalis, quæ specialis præceptis accedit consensus communis populorum, non semper expressus, saltem tamen tacitus & interpretatus, quo mediante repetitur quasi Jus Naturæ & ad commodius feliciusque ineundos mutuos populorum congressus & contractus attemperatur. Hanc Juris Gentium formam egregiè observavit sæpè dictus Autor Juris & Judicij Facialis p. 1. f. 1. §. 1. Cum multi diversis temporibus & locis idem affirmant, id ad causam universalem referri debet, que alia esse non potest, quam recta conclusio ex Natura Principiis proveniens, aut communis aliquis consensus, è quibus illa Jus Naturæ indicat; hic Jus Gentium. Clarus adhuc indicavit hoc Grotius l. 1. de I. B. & P. c. 1. §. 14. Jus Gentium id esse dicens, quod Gentium omnium aut multarum voluntate vim obligandi accepit. Lessius de I. & I. l. 2. c. 5. dub. 3. definivit esse id, quod ex communis iudicio & consensu provenit. Conferantur, quæ commentatur Amplissimus atque Excellentissimus D. N. P. Felswinger / disput. de LL. th. 36. necnon Celeberrimus Conringius de LL. th. 24. & seqq. Jungatur & Amesius l. 5. C. C. c. 1. §. 17. & seqq.

*XXII.* Hinc toties legimus apud Historicos jam à totis populis, jam à singulis personis ad Jus Gentium provocatum fuisse. Liberunt taxat hoc uno vel altero exemplo deducere. Germanicus apud Tacitum l. 1. A. c. 42. §. 3. militum Romanorum furorem severâ hâc oratione reprehendit: *An cives appellem? qui bustam projecta Senatus autoritas, hostium quoq; Jus & sacra Legationis*

sionis est fas Gentium rupistū. Ita Marcius apud Dionys. Halicarnas. l. 8. c. 1. defensurus justam belli causam, ad communem Gentium consensum provocat, si quis, inquiens, non appetat alienas res & passus repulsam, armis jus suum persequatur, sed suas res tantum reprobat, hoc omnium confensione honestum est. Perseus apud Liv. l. 42. c. 41. Jure Gentium ita comparatum est, ut arma armis propulsentur. Ita in successione regni provocavit ad Jus Naturæ & Gentium Artemenes Darii filius contra Xerxem fratrem suum juniores apud Iust. l. 2. c. 10. §. 2. Ita apud Livium l. 40. c. 9. n. 8. Perseus legitur his verbis fratrem incoxisse: *Regnare vis? huic spe tua obstat Jus Gentium, obstat vetus Macedonia mos.* Apud Curtium distractis in diversa studia animis super eligendo successore Alexandri M. nonnemo Aridæo fratri ejus regnum ex Gentium Jure debet contendit: *Solus heres prateritur a vobis, quô merito suo? quidve fecit? cur etiam Gentium communijure fraudetur?* l. 10. c. 7. n. 2.

*XXXIII.* Expositâ ita Juris Gentium formâ & λόγῳ γενώδῃ, nulla amplius videtur subesse difficultas circa veram differentiam rationem inter Jus Naturæ & Gentium. Evidem propter vicinitatem factum sèpè est, ut unum pro altero positum fuerit, non modo ab Imperatore, v. g. §. 1. de R. D. ubi Mare Juris N. & G. esse dixit: *junge. §. 11. eodem, sed etiam ab aliis ICtis & Philosophis, v. g. Vasquiol. l. c. X. n. 18. c. 16. n. 11. c. 41. n. 30. c. 51. n. 4. & ab Heidero P. 2. Philos. Mor. p. 802.* Eruditè tamen liberat ab ambiguitate acceptiones istas Amesius C. C. l. 5. c. 1. *Nimirum hoc modo sub Naturæ nomine comprehenduntur mores communis naturali rationi consentanei juxta Grotium l. 2. de I. B. & P. c. 19. §. 1.* Verum si accuratius & distinctius juris species considerare

discrimen est tenendum. Differunt enim primò causà effidente. *Jus Naturæ ex instinctu Naturæ; Jus Gentium ex popolorum consensu præsumt derivatur. Secundò formâ: Jus enīm Natura propter entrinsecam etiam honestate convenientiam utm obligandi obtinet; Jus Gentium non nisi ea precipit, quæ societati hominum alende & decenter colenda faciunt, unde & tertio objectum illius sunt actiones ex se & absolutè honesta, hujus contractus generi humano communes, ac demum conspiciante popolorum arbitrio introductæ.* Finis deniq; quartò illius est *Natura humana dignitas, hujus verò salus & conservatio civilius conversationis.* In hoc lubens meritòqué acquiesco, licet facile pluribus suffragiis posset confirmari.

*XXIV.* Per hanc quoque formalem rationem distinguitur *Jus Gentium à Jure Civili*, quod in hoc requiratur Reip. concilium & Principis Autoritas, ut ultrò citròq; habitò consilio constituatur, in illo sufficiat tacitus consensus, nec requiratur hominum conventus in unum locum, quemadmodum hanc & alias differentias proposuit *Dom. Soto de I. & I. l. 3. qu. 3. a. 3.* ut ita facile liceat determinare, an *jus aliquod ad Civile*, an *verò ad Gentium* pertineat.

*XXV.* Difficilius determinatu videtur esse, quod pertineant illa jura, quæ Gentes singulæ cum singulis constituerunt. *Autor iuris & iudicis Fec. p. 1. s. 1. §. 1. ad Jus Gentium refert*, dicens: *præter mores communes projure etiam inter Gentes habendam est id, in quod Gentes singulacum singulis inter se consentiunt, ut pote per pacta, conventiones, fœderia, cum communis Reip. sponsio legem constitutat, & populi universi non minus quam singulæ suò consensu obligentur.* Idem fecisse *Juris Romani Autores*, ut *Jus Gentium* sèpè vocaverint id, quod quorundam duntaxat popolorum est, non tanguam ex condicione, sed quod aliis aliorum imitatione, aut fortuitò receperunt, testatur iterum *Grotius in proleg. ferè sub fin.* Nobis posteriorum est sententia, qui pacta ista singulorum, vel paucorum popolorum ad positivum vel ad civile *jus referunt*, inter quos est *Excellentissimus DOMINUS P. Helwinge tract. de LL. th. 41.*

*XXVI.* Porro, quod Jus Gentium non sit otiosum vel supervacaneum populorum commentum, quin potius effectus & utilitas ejus latè pateat, demonstrandum venit. Scilicet, quæ *Moestinus* ICtus in genere de Legibus dixit l. 7. ff. de *LL.* *Legis virtus est imperare, vetare, permittere, punire*; Ea omnia suò modo de jure Gentium quoque dici posse quis dubitet? Sanc*imperare & praecepere*, & ita habere vim, non solum directivam, sed etiam coactivam & efficaciter obligantem, vel ipsa juris Natura evincit; Quale enim esset jus, nisi esset *Regula humanarum actionum, obligans ad id, quod rectum est?* sicut *Grotius* loquitur, l. 1. de *I.B. ac P.* c. 1. §. 9. Ita, quod quedam prohibeat Jus Gentium v. gr. Legatorum violationem, fatetur Pomponius ICtus l. 17. ff. de *Legatis*: si quis Legatum Hostium pulsasset, contra Jus Gentium id commissum esse existimat. Ad effectum permittendi recte refert *Laymannus Theol. Mor.* l. 1. tr. 4. c. 8. p. 62. quod agrorum instituantur divisiones, quod quis vim vi repellat, in iurias hostium ulciscatur & bellò persequatur, capti sub capientium potestate serventur: hæc enim & similia alia nec præcipiuntur, nec vetantur, sed Jure Gentium permissa esse, tanquam salutaria hominibus in communi societate viventibus, quapropter etiam in quibusdam jura permissiva non præceptiva jura, non necessitatis, sed utilitatis dicuntur. Quod tandem Juris Gentium virtus quoque sit *punire*, itidem non est in obscuro positum. Inculcat hoc *Historicus* judicii considerati & liberi *Tacitus* l. 3. A. c. 69. dicens: *Sic à majoribus institutum est, ut si antis sent delicta, pænae sequerentur.* Idem defatetur Civilis apud eundem l. 4. *Hist.* c. 22. n. 2. *Egregium pretium laboris carpi, necem fratris mei & vincula & servissimas hujus ex-*

*X XVII.* Verum, præter hos generaliores & formales, quales addit *Becanus in Theol. Scholast.* effectus, quos cum Jure Naturæ & Civili communes habet Jus Gentium, specialior quoque eidem competit finis, per quem à reliquis distinguitur: estque nullus alius, quam ille, quem verbis Excellentissimi *DN. PRÆSIDIS* paulò ante thesi scilicet *XIII.* expressi, nimirum *salus & conservatio civilis conversationis, inter Gentes mutuo intercedentis.* Quemadmodum ergo Juris Naturæ, quæ talis, finis est hominem in se consideratum conservare sub moderamine rectæ rationis, & ipsum obligare ad *m̄ d̄ coram n̄g m̄ r̄ abh̄xors*, Jus verò Civile certarū Politiarum salutem requirit, ita Juris Gentium scopus est omnes Gentes & populos mutuò nexus devincere, & ita communionem, officiorum vicissitudinem & concordiam tueri & augere. Eleganter hoc, ut reliqua omnia, judiciosissimus *Grotius* in aurea *præfatione*, ad opus toties citatum; sicut *cujusq; civitatis jura utilitatem sua civitatis respiciunt*: ita inter civitates, aut omnes aut plerasq; earum consensu quedam jura nasci potuerunt, & nata appareat, qua utilitatem respicerent, non casus singulorum, sed magna illius universitatis, & hoc jus est, quod *Gentium* dicitur, quoties id à Jure Naturæ distinguimus.

*X XVIII.* Cùm igitur tanta sit Juris Gentium utilitas pariter & necessitas, facile elucescit, quod non possit abrogari magis, quam ipsæ societates aboliri, quippe quæ certis legibus dirigunt ac constitui debent. Eò minus verò abrogari potest, quod propius accedit ad Jus Naturæ, aut cum eodem, quatenus honestatem naturalem involvit, intrinsecè consentit. Etenim hujus vigorem perpetuum & immutabilitatem nemo in dubium vocare poterit, nisi quis velit ipsum primum immutabile principium mutabilitatis temerè arguere, sive ipsum *DEUM Autorem Naturæ humanae*, sive conscientiam naturalem à Deo implantatam homini, quæ agnoscit ex lege principia naturalia & conclusiones ex iis deductas secundum *Ametum l. 1. C. C. c. 2. §. 7.* intellexeris, vel fundamen-

mentum Jūris Naturæ, quod nullum aliud est, quām honestas, & intrinseca cum intelligentia Naturæ convenientia, teste Amplissimo D.N. PRÆSIDE in sèpius citata disput. de J. N. th. 29. penitus evertere ausit, quo cùm nitatur firmiter Jus Gentium, neque de hujus vigore perenni dubitandum erit.

*XXIX.* Quæritur autem porrò, num Jus Gentium dispensationem admittat, sive, num in aliquo casu, quo reverà viget & obligat istud jus, ejus obligatio ab aliquo homine removeri queat, manentibus reliquis hominibus obligatis. Enim verò, et si nō facile evenire queat, ut integræ Gentes unu aliquem hominé aut unam nationē liberent ab obligatione ejus juris, quod proximè cum naturali reætitudine conjunctum est, & utilitatem totarum societatum habet propositam, quia tamen positivum est, & vigorem suum, quā tale, obtinet à consensu & voluntate humana, quam mutabilem esse, ita, ut propterea sit γένος φαλῆς κανών, Arist. dicit I. M. M. 12. & 2. Polit. 10. mutationis non potest planè esse expers, præsertim, si societas quædam de suo jure cedere velint, sive immunitui sua, id quod ei μέτρωι & ἐπικεκριμένη modesti & aquis facere consueverunt teste Arist. s. Eth. 12. Hinc docet Amesius I. s. C. C. 1. n. 18. *Jus Gentium* cum jure positivo hoc habere commune, quod ex communi consensu eorum, quorum inter se possit mutari & abrogari. Divisio rerum est, pergit, de Jure Gentium. Potest tamen alicubi fieri, justa causâ consensu communi, ut omnes ferè possessiones sint communes. Vid. plura. Vgl. quius c. 54. n. 6. *Jus Gentium* esse jus positivum indubitate est, & i deo semper leges positivas immutari posse, non minus, quam ipsum *Jus Civile*. Ex recentioribus quoque Ictis celeberrimus quondam Dn. D. Eckolt. in compend. Pandect. tractat. s. 25. ad

Jus dispensari, quò refert Divisionem rerum, (an & huc inviolabilitas Legatorum referri debet? Ita sanè videtur Amelio loc. cit.) & in ea, quæ sunt pro causa dispensabilia, ut servitus & quidam Contractus.

XXX. Neverò definitio Juris Gentium in hac disputat. desiderari queat, cādem ex precedētibus elicitā ipsoz̄o hanc ob-signabo: *Jus Gentium est Jus ex communī consensu populorum non barbarorum & tacitā promulgatione introductum ad conservandam inter illos naturam officiorum & contractuum necessariorum, communiam & tranquillitatem publicam.*

## F I N I S.

## COROLLARIA.

- I. Princeps etiam Legibus Juris Naturæ & Gentium obstrictus est.
- II. Fides data perfido an semper sit servanda? D.
- III. Naturā omnes homines non sunt aequales.
- IV. Nihil in honestum esse, quod utile est, ḥdḡdoꝝor quidem est, non tamen ḥdḡdoꝝor.
- V. Non ferenda est sententia Vasquii scribentis, c. 27. Controv. n. 9. quòd Deus possit hominum mentes hāc imbuere opinione, hancq̄ legem facere, ut hominem hominē insidiari, aut necem inferre, vel quovis modō nocere, nefas non esset, non magis, quam pecudes, armenta, feras, volucres, vel squameam turbam interficere.
- VI. Pænarum irrogationem nec ex actū Justitia Distributiva, nec Commutativa exercendam esse, sed ad officium Justitia Univeralis pertinere, & ex pænarum finibus demonstrari, ac veterum Philosophorum testimonis confirmari in prodiu est, & apud multos præsentis nostræ etatis pænæ audiuntur. Doctores hodiè quidem extra controversiam est positi.

**M**I Löwi, ingenii gaudes extendere nervos,  
 Certamenque Sophum ritè subire cupis:  
 Rechè, crede mihi, factum! Fortuna favebit  
 Ausibus, & labor hic haut Tibi manis erit:  
 Sed posthac usum cernes & commoda multa,  
 Dum Consultorum volvere scripta voles;  
 Sicque Patris jussa explebis, qui sede receptus  
 Cœlorum, inque Polo pace potitur ovans,  
 Florebitque, velut redivivus, sic etiam in Te,  
 Si, ceu cœpisti, pergere ritè studes.

*quisibus versiculis  
 neceffitudinis stimulo instigatus conatibus Löwii  
 sui dilectissimi calcare addere voluit, uti debuit*

**JACOBUS PANCRATIUS BRUNO,**  
 Phil. & Med. D. hujusq; Prof. P. & h. t. Decanus.

Aestimatissimo meo Dr. Resp. S. D. PRÆSES.

**E** Libris magnâ cum sedulitate relectis  
 Ingenii fructus nascitur iste Tibi.  
 Alia nunc iacta est, fama subeunda pericla,  
 Löwi, fortunæ est ingrediunda via.  
 Invada si fuerit carpens hac ausa caterva,  
 (redem mihi, haud deerit, qui probet illa, bonus.)

**C**onsensum Juris Naturæ & Gentium, AMICE,  
 His doctis Thesibus conspicuisque probas.  
 Nunc agis, ut forti defendere pectore easdem,

**I**n genii vires acuis fervore laboris,  
Et tua sinceri sunt candida pectoris aura:  
At mihi nunc animus flagrat, nunc pectore letor;  
Nam licet in cathedra caput altè dulce videre,  
Dum de Jure inter Gentes benè faris, Amice,  
Egregiam laudem, decus ingens, Chare, mereris.  
Laus est ingenium sic excoluisse, juvabit  
In cæpto bellè molimine pergere; quare  
Opto, quò Summus tua cæpta **J E H O V A** secundet.  
Ne cesses igitur cæptam decurrere palmam!

Ita gratulatus Nob. atq; Literatissimo DN. RESPONDENTI, Amico suo Candidissimo, ex candida mente pauca hæc fundebat

G. Fabricius, Norib.

**S**ic Löw i Cathedram tentas ascendere, prodens  
Ingenii & Genii maxima signa tui.  
Gratulor hos ausus, Virtuti insistere perge  
Laudatae, & genium condecorare tuum.  
Perge, benigna Tibi meditatur præmia Pallas,  
Præmia, quæ poscit sedulus usque labor.

f.  
Joh. Wilh. Erhard, LL. Stud.

**H**oc opus, hic labor est, genii dum pandere vires  
AMICE Candide, juvā Gentium cupie.  
Nunc Tibi, jure Tuu merita congratuler ausis,  
Simulus feras braboja digna comprecans.

Hic Nob. & Eruditè docti DN. RESP.  
conatus applaudere voluit

G. A. Richter / Norib.

• **S**uscipis egregium, Fautor dilecte, laborem;  
Assurgent igitur præmia digna Tibi.

Paucula hac Nob. atq; Doctissimo DN. Respondenti, amico  
suo carissimo graculabundus apponere voluit

J. Bruiningf/ Brem.